



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Vtrum bonæ sint definitiones speciei assignatæ à Porphyrio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

DISPUTATIO V.

De Specie.

QUAMVIS differentia ex eo quod sit contractiva generis, & constitutiva speciei, videatur habere aliquam prioritatem respectu speciei, & propterea posset commodè de ea agi ante speciem; tamè ex alio capite satis cōuenienter tractari potest prius de specie: tum quia est correlatiuum generis, correlatiua autem sunt simul cognitione: tum etiā quia est prædicabile perfectius, quandoquidem dicat totam essentiam rei, differentia vero formaliter & explicite nō dicat nisi partem essentia. Præterea etiam parui refert, de quo prædicabili prius agatur; sufficit enim eorum omnium naturam declarare quocumque ordine id fiat.

QVÆSTIO I.

Virum bona sint definitiones speciei assignatae à Porphyrio.

QUONIAM quælibet species habet duas considerationes, vnam, secundum quam continetur sub genere aliquo, cui sic subiicitur, vt genus de illa in quid prædicari possit, sicut animal prædicatur de homine, & viuens de animali; alteram, secundum quam potest prædicari de aliis sub se contentis, vt homo potest prædicari de Petro & Paulo: Hinc Porphyrius duas speciei assignauit definitiones aut descriptiones: Prima est quod sit illud quod subiicitur generi, vel de quo genus in eo quod quid est prædicatur; & hæc est definitio eius, quatenus comparatur ad superiora, sub quibus continetur. Altera est, quod sit illud quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid, quæ est definitio eius, quatenus comparatur ad inferiora, quæ continentur sub ipsa, vt homo continet sub se Petrum & Paulum: examinamus ergo hic, an hæc descriptiones, seu definitiones sint bene traditæ.

CONCLUSIO I.

Bona est descriptio Porphyriana speciei subiicibilis, qua dicitur quod sit illud, quod subiicitur generi; & etiam illa altera, quod sit illud, de quo genus prædicatur in quid: & hæc duæ definitiones possunt explicari, & sic vt coincidunt, & sic vt differant. Hæc in re est communissima, & patet prima pars, quia per vtramque illam descriptionem explicatur natura speciei subiicibilis, vt distinguitur ab omnibus aliis rebus: distinguitur enim à genere, vt est genus, per hoc quod subiicitur generi, & per hoc quod genus de ipsa prædicatur in quid: nam genus, vt genus formaliter, non subiicitur, nec aliquid de ipso prædicatur, sed potius est prædicabile. Distinguitur etiam à specie prædicabili vt tali, quia illa vt sic non subiicitur, nec aliquid de ipsa prædicatur, sed potius alia subiiciuntur ipsi, & ipsa de aliis prædicatur.

Secunda pars, nempe quod illæ duæ descriptiones possint sic explicari, vt differant vel conueniant, probatur, nam illud subiici potest sic intelligi, vt significet, quod species subiiciatur in prædicatione, & sic conueniret vtrique descriptio. Potest etiam sic explicari, vt significet quod species includat genus, & minus late pateat quam ipsum, & sic different illæ duæ descriptiones, quia prima non diceret expresse ordinem ad prædicabilitatē, sicut diceret secunda, & tamen vtrique, etiam vt non coincidunt, sufficienter explicaret naturam speciei subiicibilis, vt distinguitur à cæteris rebus. Nec est momenti vllius, vtra sit essentialior, in quo non conueniunt auctores, sed vtrique potest dici essentialis per additamentum, sicut definitiones illæ Vniuersalis: Vniuersale est aptum inesse multis; & Vniuersale est aptum prædicari de multis.

3. Obiicit primo: Indiuidua subiiciuntur generi, & genus de iis in quid prædicatur: nam verū est quod animal

includatur in Petro & Paulo, & quod prædicetur in quid de ipsis; ergo neutra ex prædictis definitionibus est bona, quandoquidem vtrique conueniat alijs à definito, nempe indiuiduo, quod non est species subiicibilis.

Fuentes, Auerſa, Ioannes à sancto Thoma, hic respondent negando consequentiam, quia licet indiuidua subiiciantur generi; tamen non sunt vniuersalia: intelligitur autem per ly quod in his definitionibus aliquid vniuersale, vt patet ex mente Porphyrij, qui solum agebat hic per se de quinque vniuersalibus, & seorsim in hoc ipso capite obiter egit de singularibus, seu indiuiduis post traditas has definitiones.

Hæc responsio est bona ex suppositione quod nō possit dari aliquid quod habeat rationē speciei subiicibilis formaliter, quod non sit vniuersale: sed quia id est in controuersia, & quia supra ostendimus non requiri ad genus formaliter, quod species, de quibus prædicatur, sint vniuersales, propterea magis placet alia communissima responsio, quam ex Toletō afferant hic Complutenses, distinguendo antecedens: indiuiduum subiicitur generi, & genus de ipso prædicatur in quid, eo modo quo intelligitur in his definitionibus speciem subiici generi, & genus prædicari de specie, nego antecedens; alio modo, concedo antecedens. Modus autem ille, quo species in illis definitionibus dicitur subiici generi, est quod subiiciatur ipsi immediate, ita vt ad ipsam contrahatur immediate per differentiam: sic autem non subiicitur indiuiduum generi, quia non contrahitur genus ad indiuiduum immediate, sed prius contrahitur ad speciem, & mediante specie inest indiuiduo: similiter modus, quo est prædicabile genus de specie, est quod sit de ipsa prædicabile, tanquam quid immediate ad ipsam contractum, & hoc modo non est prædicabile de indiuiduo.

4. Dices: animal est species subiicibilis respectu substantiæ vt sic; & tamen substantia vt sic non contrahitur ad animal immediate: ergo ad speciem subiicibilem non requiritur contrahibilitas immediata.

Respondeo negando maiorem loquendo formaliter nō enim est species subiicibilis formaliter respectu substantiæ vt sic, nisi quatenus subiicitur ipsi, vt contracta est ad aliquid aliud, quod ad ipsum immediate tanquam genus contrahitur: vnde quia animal non contrahitur immediate ad Petrum, nec aliquid aliud, in quo includitur, contrahitur ad Petrum tanquam genus, propterea Petrus non habet rationem speciei respectu animalis aut vllius superioris prædicati.

Dices secundo: animal prædicatur immediate de Petro, quando consideratur Petrus vt animal præcise, & prædicatur immediate de indiuiduo generico animalis: ergo secunda definitio speciei subiicibilis conuenit indiuiduo, nimirum illa, in qua dicitur quod sit illud, de quo genus prædicatur in quid.

Respondeo negando consequentiam, quia definitio vult quod species sit illud, de quo prædicatur genus in quid immediate à parte rei, & iuxta modum, quo à parte rei contrahitur genus; non vero quod sit illud, quod prædicatur immediate quomodocumque. Itaque quodcumque quod subiicitur generi immediate, tanquam illud, ad quod aliquod genus immediate contrahitur, & de quo aliquod genus potest, tanquam sic immediate contractum à parte rei prædicari, est species subiicibilis, &ue sit vniuersale quid, siue particulare: & hoc volunt prædictæ definitiones.

5. Obiicit secundo: Definitio debet esse notior definitioni, alias non explicaret naturam ipsius, & sic frustra adhiberetur, & non esset definitio, quia definitio est ignoti manifestatiua: sed hæc definitio non est notior definito, ergo non est bona. Probatur minor, quia non est notius quid sit genus, quam quid sit species: sed subiici generi non potest esse notius quam ipsum genus, sicut nulla relatio potest esse notior quam terminus, cum non possit esse aut intelligi sine termino.

Confirmatur, quia genus formaliter dicit respectū ad speciem, estque correlatiuum speciei; vnde supra definebatur per ordinem ad species: sed eorum, quæ sunt

Qua ratione species subiicitur generi.

Duplex species, prædicabilis & subiicibilis.

Bona est descriptio speciei subiicibilis.

correlatiua, vnum non est notius altero; ergo genus non est notius specie.

Confirmatur secundo, quia genus definiebatur supra per ordinem ad speciem: ergo species debet esse notior genere, & consequenter male definitur species per ordinem ad genus, tanquam ad quid notius.

Respondetur distinguendo minorem: ex natura sua, transeat minor: ex suppositione quod aliquid cognoscat quid sit genus, & non cognoscat quid sit species, negatur.

Dices: non potest cognosci genus, quin cognoscatur species, quandoquidem definiatur genus per ordinem ad speciem, & nihil cognoscatur per ordinem ad aliquid, quod non cognoscitur: ergo falsum supponitur, quod cognoscat aliquis genus non cognita specie.

6. *Respondeo* distinguendo antecedens; quin cognoscatur species, ut species formaliter, nego; quin cognoscatur aliqua res, quæ est species, concedo; & similiter distinguo consequens, non cognita specie, ut specie formaliter, nego; non cognita specie materialiter & specificatiue, concedo consequentiam. Itaque quando definitur genus per ordinem ad species, debent intelligi per species naturæ distinctæ rationis inter se, ita ut sensus definitionis sit, quod genus sit illud, quod prædicatur in quid de naturis distinctæ rationis: ut sunt autem distinctæ rationis præcise & formaliter, non sunt species subiectibiles; non vero sensus est, quod genus sit illud, quod prædicatur de speciebus, hoc est de rebus, quæ subiacentur generi ut genus, quia alias genus definiretur per æque ignotum, quia definiretur per ordinem ad seipsum. Similiter quando definitur species per ordinem ad genus, non debet hoc intelligi de genere formaliter, ut est correlatiuum speciei formaliter; sed de genere, ut est aliquid prædicabile de pluribus distinctæ rationis essentialis.

7. *Et per hoc patet ad primam confirmationem*, cuius maior est distinguenda pro utraque parte: genus formaliter dicit ordinem ad speciem formaliter, nego maiorem pro prima parte: ad speciem materialiter sub alio conceptu, quam sit conceptus ipsius, ut dicit formaliter respectum ad genus, concedo maiorem pro prima parte. Similiter distinguo maiorem pro secunda parte: genus est correlatiuum speciei, prout capitur species in definitione generis, nego, quia ibi non capitur, ut dixi, prout species formaliter, sed materialiter & specificatiue: si capitur alio modo, transeat maior pro secunda illa parte. Distinguo etiam minorem iuxta hoc: eorum quæ sunt correlatiua, vnum formaliter, ut correlatiuum, nequit esse notius altero, concedo; quia correlatiua formaliter, ut dicunt respectus ad se inuicem, sunt simul cognitione, ut postea dicemus: eorum, quæ sunt correlatiua specificatiue & materialiter, vnum nequit esse notius alio, nego minorem & consequentiam.

8. *Per idem patet ad secundam confirmationem* distinguendo antecedens: genus definiebatur per ordinem ad speciem formaliter consideratam, ut est formaliter subiectibilis, nego: sub alia ratione, concedo; & eodem modo distinguo consequens: ergo species formaliter, ut species subiectibilis, debet esse notius genere, nego; sub alio conceptu, concedo consequentiam.

Ne autem difficultas proposita & doctrina hæc videatur particulariter ad præsentem materiam spectare, aduertendum est utramque occurrere in omnibus correlatiuorum definitionibus; si enim velim definire producentem in ordine ad productum, aut patrem in ordine ad filium, aut æquale in ordine ad æquale, eadem difficultas opponi potest, & eadem responsio adhiberi seruata proportionem.

Obiiciunt tertio: species subiectibilis est vniuersalis, sed male describitur vniuersale per ordinem ad superius; ergo male describitur species subiectibilis per ordinem ad genus.

Respondeo distinguendo maiorem; ut subiectibilis ita, ut ipsa subiectibilitas sit vniuersalitas, nego, maiorem; secundum aliam rationem, transeat maior, & nego consequentiam.

9. *Bona & essentialis per additamentum est definitio speciei prædicabilis*, quæ dicitur esse id, quod prædicatur de numero differentibus in quid. Hæc est communis omnium, in quantum asserit quod illa definitio sit bona: & patet, quia declarat naturam speciei, & prædicabilitatem particularem quam habet; neque enim ulli alteri prædicabili competit prædicari de numero differentibus in quid, ut magis patebit ex solutione obiectionum. In quantum autem dicit conclusio, quod hæc definitio sit essentialis per additamentum, patet iisdem rationibus, quibus idem probatur supra de definitione generis, est enim sine dubio eadem ratio quantum ad hoc de utraque definitione, & similes sunt obiectiones; unde non est necesse vllas hic proponere, quia simul cum solutione parent ex dictis de genere.

Obiicit contra bonitatem huius definitionis, conuenit aliis à definito: ergo non est bona. Probatur antecedens, quia conuenit generi, genus enim est prædicabile de numero differentibus in quid; querenti enim quid est Petrus & quid est Paulus, tam bene potest quis respondere quod sint animalia, quam potest sic querenti respondere, quod homo sit animal, & brutum sit animal.

10. *Aliqui dicunt*, intelligi in hac definitione, quod species prædicetur in quid complete & ut tota essentia; unde quia hoc non conuenit generi, quandoquidem prædicetur ut pars, propterea non conuenit ipsi prædicta definitio.

Alij dicunt, quod genus non prædicetur immediate de indiuiduis, quia ad illa immediate non contrahitur, sed mediante specie, & sic excludunt ipsum ab hac definitione, in qua intelligitur prædicatio immediata.

Contra has responsiones replicari potest, quod genus immediate prædicetur de indiuiduis, & etiam tanquam tota essentia, quando illa indiuidua considerantur secundum rationem genericam præcise, non consideratis differentiis essentialibus contractiuis: v.g. quando considerat quis Petrum & Paulum & Bucephalum tanquam singularia sensitiua, non considerando rationem aliquam particularem, tum prædicat, aut prædicare potest animal de ipsis tanquam immediate conueniens illis, & tanquam totam ipsorum essentiam: ergo animal est prædicabile immediate & complete de indiuiduis, & consequenter non obstantibus dictis responsionibus, definitio speciei prædicabilis competit generi.

Responderi potest distinguendo antecedens: genus prædicatur immediate aut complete de indiuiduis vllis realibus aut possibilibus prædicatione vera, per quam dicatur à parte rei esse totam essentiam illorum indiuiduorum, aut contrahi ad ipsa immediate, negatur antecedens; potest prædicari immediate & complete de indiuiduis, ut considerantur imperfecte & inadæquate ab intellectu, conceditur antecedens & negatur consequentia, quia prædicatio in quid de indiuiduis, per quam explicatur species, est prædicatio vera, per quam prædicatur de indiuiduis, ut sunt à parte rei, seu ut sunt intellecta adæquate, tanquam tota ipsorum essentia, aut tanquam immediate contractum ad illa.

11. *Alia datur satis communis & facilis responsio* ad prædictam obiectionem, negando antecedens, & ad probationem dicendo, quod genus non prædicetur in quid solum de numero differentibus, sed etiam de differentibus specie; species vero prædicabilis ita sit limitata ad prædicationem de numero differentibus, vtnon possit prædicari de differentibus specie; unde dicunt subintelligendū in definitione præmissa ly tantū aut solummodo in sensu iam explicato. Addunt autem auctores huius responsionis, quod non erat necesse ut Porphyrius expresse poneret illam particulam in definitione, nam cum ante dixisset genus prædicari de pluribus specie differentibus, & quid quid prædicatur de speciebus prædicetur de indiuiduis illarū specierū, sufficiens significauit quod genus possit etiam prædicari de indiuiduis ac numero differentibus: unde cum hac definitione voluerit explicare speciem prædi-

Bona est definitio speciei prædicabilis.

Quomodo definitur genus per ordinem ad species.

prædicabile, quæ est vniuersale distinctæ rationis à genere, sufficenter colligitur quod intellexit prædicabilitatem aliquam de indiuiduis, quæ non competit generi; hæc autem est prædicabilitas talis, vt non possit species de aliis quam de indiuiduis prædicari, quod est intentum.

Et hinc etiam potest colligi quod prædicetur species, tanquam quid immediate contractum, & tanquam tota essentia, quia si mediate contraheretur, hoc est median- tibus aliis differentiis essentialibus, posset prædicari de aliis quam de numero differentiis non minus quàm genus, & sic esset genus & non species prædicabilis. Rursum si prædicaretur in quid vt pars essentia determinabilis, tunc non contraheretur ad indiuidua immediate, sed prius contraheretur per partem essentia determinatiua.

12. *Obiicitur secundo:* species subalternæ seu intermediæ, quæ scilicet collocantur inter genus generalissimum & speciem infimam, sunt vere species & quidem prædicabiles, quia vere prædicantur de pluribus: sed tamen non conuenit ipsis hæc definitio, quandoquidem non solum prædicari possint de numero differentiis, sed etiam de specie differentiis; ergo non bene explicat prædicta definitio speciem prædicabilem.

Respondetur distinguendo maiorem: sunt species prædicabiles, prout species prædicabilis est vniuersale distinctæ rationis à genere, nego maiorem; prout species prædicabilis dicitur illud, quod subiicitur generi, & quod potest vterius prædicari in quid aliqua ratione, concedo maiorem & minorem, & distinguo consequens: non bene explicat prædicta definitio speciem prædicabilem, hoc est illud vniuersale, quod habet distinctam prædicabilitatem in quid à prædicabilitate generis, nego consequentiam: speciem prædicabilem alio modo acceptam, concedo consequentiam. Itaque breuiter hic aduertendum speciem prædicabilem posse capi dupliciter: primo pro omni illo quod est species, & vterius prædicabile in quid; secundo pro omni illo vniuersali, quod est prædicabile in quid modo in prædicta definitione explicari; & hoc modo capimus hic speciem prædicabilem, non primo modo.

13. *Obiicitur tertio:* Anima rationalis est prædicabilis in quid complete de hac & illa anima rationali, quæ sunt numero tantum distinctæ: sed non est species prædicabilis: ergo male definitur species prædicabilis. Probatur minor, quia omnis species substantialis prædicabilis ponitur directe in prædicamento substantia: anima autem sic in eo non ponitur, quandoquidem sit quid incompletum physice. Simile argumentum potest fieri contra definitionem generis de anima vt sic, respectu animæ rationalis & animæ sensitiuæ tantum: nam est prædicabile de ipsis in quid incomplete, & tamen non est genus, quia non ponitur directe in prædicamento substantia, sicut nec anima vlla, propter rationem dictam.

Respondetur breuiter, si per genera & species hic definita intelligantur entia completa, animam vt sic non esse genus respectu diuersarum specie animarum, nec animam rationalem esse speciem respectu huius & illius animæ rationalis: excluduntur autem à prædictis definitionibus per ly quod, quod denotat ens completum physice: si verò non intelligantur sola entia completa, sed quæcunque quæ habent prædicabilitatem in quid, siue sint completa, siue incompleta physice, tum anima vt sic erit genus, & anima rationalis species; & neganda est minor obiectionis cum probatione. Perinde autem est, quo modo ex his explicentur prædictæ definitiones; verissimilius tamen est Porphyrium voluisse explicare tantum genera & species completas physice, quia voluit explicare illa, quæ ponuntur directe in prædicamentis.

QVÆSTIO II.

Quomodo se habeant ad inuicem species subiicibilis & prædicabilis.

14. **C**ertum est à parte rei omnem speciem prædicabilem esse etiam subiicibilem, quia nulla est, quæ non continueatur sub genere aliquo: in quo conuenit cum aliqua alia re; & æque certum est quod omnis species subiicibilis non sit species prædicabilis prædicabilitate

definita in quæstione præcedenti, quia genera intermedia non sunt species prædicabiles, & tamen sunt subiicibiles, vnde in hoc sensu non necessarium concomitantur se inuicem: sed difficultas est, an species subiicibilis possit considerari vt talis, quin consideretur vt vniuersalis ac prædicabilis aliquo modo de pluribus: & an species prædicabilis possit considerari vt talis, quin consideretur vt subiicibilis. Quæ difficultas fortassis in re conuenit cum illa alia prædicabilitas aliqua seu vniuersalitas sit per se competens speciei subiicibili, quæ talis est: ita vt sit vel de essentia eius, vel proprietas ipsius: & an subiicibilitas sit ita competens speciei prædicabili, vt sit de essentia ipsius, vel proprietas eius.

Caiet hic, & Arauxo 3. Metaph. dicunt subiicibilitatem esse de essentia cuiuscunque speciei, & prædicabilitatem esse proprietatem eius, quæ subiicibilis est. *Toletus vero hic* dicit vtrumque respectum tam subiicibilitatis, quæ prædicabilitatis alicuius, esse proprietates cuiuscunque speciei emanantes ab ipsius essentia, quæ secundum ipsum consistit in aptitudine essendi in multis: & iuxta hoc patet quod concomitantur se inuicem prædicabilitas aliqua, & subiicibilitas in quacunque specie prædicabili & subiicibili, etiam quæ talia formaliter, sicut rationalitas & risibilitas, aut sicut risibilitas & admiratiuitas concomitantur se in quocunque homine quæ homo.

Communior sententia est subiicibilitatem & prædicabilitatem non se habere ad omnem speciem, aut subiicibilem, aut prædicabilem, quæ talia sunt, hoc modo. Quæ sententia colligitur ex *Scoto q. 21. vniu.* & tenetur à Scotistis omnibus, & Thomistis pluribus, quos sequuntur recentiores fere omnes.

CONCLUSIO I.

15. *Species subiicibilis, quæ talis formaliter non dicit vniuersalitate, nec prædicabilitatem, aut tanquam essentiale prædicatum, aut tanquam proprietatem, & potest optime intelligi sine vniuersalitate, aut prædicabilitate.* Hæc est conformis secundæ sententiæ contra primam. *Probat* autem, quia eo ipso quo animal includeret viuens tanquam partem determinabilem per sensitiuitatem, quamuis non esset aptum inesse multis, aut prædicari de multis, haberet rationem speciei subiicibilis, & non haberet vniuersalitatem, aut prædicabilitatem vllam, & consequenter eo ipso, quo consideraretur vt sic, consideraretur vt species subiicibilis, & non consideraretur vt vniuersalis, aut prædicabilis; ergo nec prædicabilitas nec vniuersalitas est de essentia speciei subiicibilis; nec ad cognitionem speciei subiicibilis, quæ talis, requiritur earum cognitio.

Quod etiam nec vniuersalitas nec prædicabilitas sit proprietas speciei subiicibilis quæ talis, probatur, tum quia non est potior ratio eui vniuersalitas, aut prædicabilitas essent proprietates subiicibilitatis, quam subiicibilitas sit proprietas eorum, aut alicuius ex illis: tum etiam quia ex prædicabilitate, aut vniuersalitate non potest inferri per vllum discursum subiicibilitas: sed posset, si esset proprietas eorum: ergo non est proprietas eorum.

Confirmatur hoc, quia si natura Michaelis esset incommunicabilis, vt putant Thomistæ, nulla esset ratio eui non habeat rationem speciei subiicibilis respectu generis, in quo conueniret Michael cum Gabriele: ergo vniuersalitas & prædicabilitas per accidens omnino se habent ad speciem subiicibilem, quæ talis est.

16. Verum quidem est, si species, respectu cuius dicitur genus habere rationem generis, deberet esse vniuersale formaliter, quod etiam species subiicibilis, quæ talis deberet esse vniuersalis, ac consequenter prædicabilis de multis; quia species subiicibilis est illa formaliter, per ordinem ad quam definitur genus, & ex cuius cognitione dependet cognitio generis: vnde si non posset cognosci, quod aliquid esset genus, nisi cognosceretur quod esset prædicabile de aliquo, quod esset vniuersale, sequitur quod non posset cognosci aliquid esse species subiicibilis, quin cognosceretur esse vniuersale, & consequenter quod subiicibilitas speciei exigat necessarium ex ratione sua vniuersalitatem, non tamen tanquam prædicatum

Sensus quæstionis.

Species subiicibilis vt sic, non dicit vniuersalitate aut prædicabilitate.